



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Quoniam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

dem non adest maior pars eligentium, si eligentes non ut personæ singulares, sed collectiue siue ad corpora concurrunt. Quæ est doctrina Gl. fin. hic Abb. n. 6. Felin. n. 8. §. Vbi duo corpora, pulchrè Anton. nu. 15. in fine, *Quando plura corpora, ut corpora, viuuntur ad expediendum actum, quodlibet corpus habet unam vocem integram: quia attenditur corpus, & non numerus personarum.* Idem tradunt DD. in c. scriptum 40. de elect. vbi Abb. n. 6. fasè rem istam declarat.

## S. Quoniam.

## PARAPHRASIS.

Si alicui causæ cum generalitate absque personarum & rerum expressione delegatæ fuerint, v.g. cognosce de iniuria hac Titio illata, & quibusdam aliis tibi ab eodem proponendis: hoc casu iudex delegatus iurisdictionem habet veluti in habitu, licet actu eam exercere non possit erga personas & res, antequam exprimantur. Quamobrem si ab eadem Apostolicâ Sede aliud postea rescriptum emanet, quo causâ specialis contenta sub generalitate prioris rescripti aliis iudicibus demandetur, speciale hoc rescriptum derogat generali, tametsi de eo nullam faciat mentionem.

## SUMMARIUM.

*Iurisdictione delegata non datur in actu ante expressionem causarum, de quibus agendum; & personarum, contra quas agendum sit.*

**NOTANDVM I.** Rescriptum ad lites speciale derogat priori generali, licet de eo mentionem non faciat: cum sit generalis regula, quod species derogat generi. Dixi de hac re in cap. i. hoc tit. Excipiendum verò est: Nisi in priore generali dispositione posterioribus rescriptis forma præscribatur, ut in iis mentio seu clausula derogatoria ponatur, alioquin non derogetur, vti dixi in c. cum Ordinem 6. hoc tit.

**NOTANDVM II.** Si iudici delegatio facta sit sine expressione personarum, aut causarum, iurisdictionem acquirit duntaxat in habitu, eamque prius exercere non potest, nisi expressæ fuerint causæ, de quibus agendum; & personæ, contra quas agendum. Ita Gl. hic ver. iurisdictionem, & videri potest c. 2. de Libelli oblat.

## CAPITVLVM XV.

## Sedes.

## PARAPHRASIS.

In primis præfatur Innocent. III. quod Sedes Apostolica exhibeat se liberalem postulantis, quamuis alij eius gratiâ abutantur, quare ad horum malitiam impediendam decernit, si in rescripto à Sede Apostolicâ impetrato personæ minores ac minus dignæ exprimantur, quæ in iudicio conueniri possint, adiectâ clausulâ indefinitâ, *Et quadam alia personæ, quod sub ea non comprehendantur personæ maiores ac digniores, neque item multitudo personarum, sed summum 4. vti postea dicitur c. 2. eod. in 6.* Similiter si in rescripto res minores expressæ fuerint, adiectâ clausulâ, *ut cognoscatur super his & aliis quibusdam,* per eam non comprehenduntur causæ grauiores seu maioris momenti. Denique ait, si quis in petitione personas expresserit, non quod cum ijs iudicio contendere velit, sed ut alias paris vel minoris conditionis personas, per adiectam clausulam, *Et quasdam alias,* conueniri possit, totum rescriptum irritum censendum esse, quia sua cuique fraus & dolus prodesse non debet.

## SUMMARIUM.

1. Liberalitas est propria Principum.
2. Causæ vel negotia committi possunt uni, sine specifica eorum expressione.
3. Clausula generalis seu indefinita subsequens ordinariè restringitur ad similia ijs, quæ præcesserunt.

M 2

Item